



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De Decalogo nonnulla præmitto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066


Examen II. De diligendo Deo. 59

tenetur audire; quia licet inuitus actionem assistendi ab Ecclesia imperatam impleuit, peccat tamen secundum affectum internum peccato commissionis. ex *Laymano* dici.

117. *In his, quae ad corporis naturam pertinent propagandam, & conseruandam, tenemur ne aliena potestati obedire?* Homo in his sui iuris esse debet, & soli Deo subiectus. Quae causa est, (loquor cum eodem *Doctore*) vt serui dominis, parentibus filij obedire in matrimonio contrahendo, aut virginitate seruanda non teneantur. *Laym.*

118. *Valet humana potestas interdum praecipere, aut prohibere aliquid cum periculo mortis?* Posse *Laymanus* affirmat, si videlicet ex obseruantia legis aut praecipiti maius Reipublicae commodum speretur: vel ex neglectu maius incommodum timeatur, quam priuatum periculum mortis debeat aestimari.

119. *Obligatio legis extenditur ne ad actus praeteritos?* Solum extenditur ad futuros. Quatenus tamen lex declaratoria est (addit *Layman.*) etiam ad actus praeteritos se extendit. *Laym.*




EXAMEN SECVNDVM.

De legibus in particulari circa materiam
Primi Mandati Decalogi de
Diligendo Deo.

CAPVT SECVNDVM.

De Decalogo ^{non} nulla praeimitto.

I.  *Votnam sunt Decalogi praepcepta, (vt legum in particulari diuinarum seriem discutiamus) & quamnam in parte sacrae paginae continentur? Sunt decem Exodi vigesimo capite exarata. 1. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Non assumes nomen Dei tui in vanum. 3. Memento, vt diem Sabbathi sanctifices. 4. Honora patrem tuum, & matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non machaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 9. Non concupisces uxorem proximi tui. 10. Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bovem, non asinum, non omnia, quae illius sunt.*

2. *Sunt*

2. *Sunt ne praecepta haec naturalia, an positiva diuina? Sunt naturalia, tertium si excipias; quamuis enim ex iure naturali Deum certo die colere teneamur, determinatio tamen talis diei vel fuit ex praecepto diuino positiuo, vt in veteri lege Sabbathi sanctificatio: vel est ex praecepto positiuo Ecclesiastico, vt modo obseruantia Dominica, vel solemnia Sanctorum.*

3. *Quare Praecepta Decalogi sunt forma negandi ferè expressa? Id factum tribus de causis. 1. Quia ea forma valet ad coërcendos impios à flagitiis. 2. Quia negatio latius patet, quam affirmatio, vt praeceptum de non habendis diis alienis, quam de vno Deo colendo. 3. Quia negatio apertè includit affirmationem; si enim non habendi sunt dii, ergo vnus Deus colendus: similiter sub affirmatione negatiuum continetur, vt sub praecepto honorandi parentes, de iisdem non contemnendis praeceptum includitur.*

4. *Quo differunt negatiua ab affirmatiuis? Affirmatiua quidem obligant semper, sed non pro semper, id est omni tempore; non enim teneor omni tempore parentes honorare: negatiua autem obligant semper, & pro semper; nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa quidem omissionis, hæc commissionis peccato violantur.*

5. *Quale peccatum transgressio alicuius Decalogi praecepti? Mortale, nisi trium causarum aliqua excuset; 1. defectus deliberationis, 2. defectus pleni iudicij, 3. paruitas materiae modo ad huiusmodi materiae paruitatem contemptus non accedat, de quo sigil. 2.*

6. *Præter hæc praecepta naturalia in Decalogo scripta sunt ne alia naturalia praecepta? Sunt equidem, & præcipua dilectio Dei, ac proximi; attamen in illis implicite continentur: nec in Decalogo adnumerantur explicite, quia sunt principia naturalia, prima, quæ naturæ ducatu ostenduntur. Fateor communi opinione praeceptum de diligendo Deo cum primo Decalogi non merito confundi: *Non habebis Deos coram me*, quibus quidem verbis solum peccatum superstitionis, & idololatriæ, quod est contrarium Religionis, & patriæ virtuti, prohibetur. Igitur praeceptum de proximo diligendo in materiam charitatis referendo, communi errore de praecepto diligendi Deum periculum facias.*